

## DISPUTATIO IV.

### DE VOLUNTATE ET PROVIDENTIA DEI,

#### CAPUT I.

##### DE VOLUNTATE DIVINA EJUSQUE OBJECTO AC PERFECTIOE.

#### ARTICULUS I.

##### AN VOLUNTAS IN DEO DETUR ET QUOTUPLEX ?

169. *Dico I.* Datur in Deo voluntas seu facultas volendi proprie talis, actus volendi prosecutivus et aversativus.

*Prob. 1<sup>a</sup>.* p. Psal. 134. 6. dicitur: *Omnia quaecumque voluit, fecit*, et ad Ephes. 1. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. Conf. ex ratione*, quae docet, voluntatem esse perfectionem essentialem omnis agentis intellectualis, et consequenter Dei tanquam maxime intelligentis; esse fundamentum domini supremi, libertatis et moralis bonitatis, quae tanquam perfectiones simplices Deo utpote enti perfectissimo vindicantur.

*Prob. 2<sup>a</sup>.* p. 1. Joan. 4. 16. *Deus charitas est*; et juxta D. TH. primus actus voluntatis et quasi radix aliorum est amor; ergo sicut in Deo est voluntas proprie talis, sic et amor. Deus autem seipsum amat amore specifico et gaudii, creaturas rationales amore benevolentiae, et quasdam etiam amore amicitiae, irracionales vero amore quasi concupiscentiae; ut communius S. TH. 1<sup>a</sup>. q. 20. a. 1. et 2. et plerique Theologi exponunt; ergo. *Desiderium* est affectus, quo voluntas vult et tendit in bonum ut absens: sed Deus in bona extrinseca, scilicet ea, quae ad ejus laudem cultumque pertinent, ac illi placent, tendit saepe ut absentia; tum quia ea vult, antequam sint: tum quia eorum multa vult esse, quae tamen hominum culpa nunquam erunt, ut in salute hominum et observatione praecceptorum experientia docet; ergo in Deo datur *amor* et *desiderium* circa bona extrinseca; non vero *spes* proprie dicta, quia versatur circa bonum arduum seu difficile et probabiliter tantum futurum; sperans vero agnoscit aliquem quasi superiorem aut potentiorum, qui prestare objectum speratum queat.

*Prob. 3<sup>a</sup>.* p. de odio abominationis tum contra peccata tum contra peccatores, ex Psal. 44. 8. *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem*; Ps. 5. 7.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; et Sap. 14. 9. Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus; ergo. De odio inimicitiae contra peccatores; Exod. 23. 22. Deus ait: *Inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te*: ex Apoc. 18. 7. *Quoniam glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. De fuga mali sat constat, quia illam hic sumimus ut praecise oppositam desiderio circa bona Dei extrinseca. *Exceptis*, timore, tristitia, poenitentia et desperatione: quia ex sese sunt imperfecti; cum timor respiciat futurum *tristitia* autem praesens malum proprium, quod tamen Deo nunquam accidere potest: *poenitentia* dolorem quemdam et voluntatis mutationem importet, cujus utriusque Deus est incapax: *desperatio* autem eosdem et plures defectus, quam spes includat. Demum nec *iram*, quae est appetitus vindictae cum spe ulciscendi ex tristitia procedens, proprie convenire Deo ex eadem ratione postrema patet. Quomodo tamen tum eadem tum dolor, poenitentia et tristitia sub aliquo tropo tribuantur Deo a Scriptura vel Patribus, *supra* expositum est. Ex simili ratione nonnisi metaphoricè *odium* Deo quidam Patres concesserunt; quia nempe illud cum passione et commotione per se conjunctum existimarunt.

170. *Dico II.* Quatuor sunt voluntatis divinae divisiones, quarum inter Theologos mentio habetur frequentissima.

1<sup>a</sup>. Divisio est in voluntatem *beneplaciti*, et voluntatem *signi*, quam primus videtur tradidisse Hugo Victorinus. Circa hanc observandum est:

1<sup>o</sup>. Quod voluntas *beneplaciti* sit verus et internus seu in Deo realiter existens actus voluntatis, quo prosequitur aliquod bonum, vel aversatur malum; ideoque dicatur voluntas *proprie* talis; voluntas autem *signi*, ut membrum et oppositum priori sumpta, non est verus et internus voluntatis divinae actus, sed ejus duntaxat signum aliquod, seu effectus quidam creatus illum significans; ideoque dicitur voluntas *improprie et tropice* talis, sicut testamentum dicitur voluntas testatoris.

2<sup>o</sup>. SIGNA voluntatis divinae quinque hoc versu continentur: *Præcipit aut prohibet, permittit, consulit, implet*. Hæc signa diverso modo voluntatem Dei indicant; nam *præceptum* indicat voluntatem obligandi ad rem præceptam, cum simplici affectu, ut fiat: *prohibitio* voluntatem obligandi ad non ponendam actionem prohibitam, cum simplici affectu, ne fiat: *consilium* est signum intellectus divini practice judicantis, aliquid esse melius, cum simplici affectu, ut actio consulta fiat: *permissio* indicat voluntatem non impediendi actum permissum, imo generalem concursus dandi ad eundem, sed cum simplici affectu, ne fiat: *operatio* indicat voluntatem efficacem, qua actu rem facit vel ad eam concurrat, cum Deus omnia per suam voluntatem operetur.

3<sup>o</sup>. Voluntas *signi* semper supponit et significat voluntatem beneplaciti, quæ terminetur ad ipsum signum; quia cum Deus præcipit, permittit etc., vere et interne vult esse præceptum, permissionem etc., sine quo actu signum foret falsum, et immerito voluntas Dei diceretur. Voluntas tamen hæc *beneplaciti* non terminatur semper ad rem significatam; quia quamvis in operatione semper adsit, abest tamen constanter in permissione: in reliquis autem voluntatis signis jam abest, jam adest.

4<sup>o</sup>. REGULA, qua certo dignoscamus voluntatem signi meram esse et non

conjunctam cum beneplacito, hæc videtur statui posse: si eventu ipso vel Scripturæ testimonio Deus declaret aliud voluisse, quam quod exterior præcepti vel prohibitionis sensus indicat; sic dum Deus jussit *Abrahamum* immolare filium, videbatur in Deo esse voluntas actualis occisionis, reipsa tamen non erat nisi merum signum hujus voluntatis: cum subinde Deus prohibuerit hanc immolationem, et solum intenderit animi promptitudinem in *Abrahamo* ad illam exequendam, fideique ac obedientiæ manifestationem: similiter dum Christus homini a lepra mundato prohibuit, ne cui hoc beneficium acceptum diceret, quod ille tamen prædicare cœpit; hic ipse intellexit, Deum non ideo prohibuisse, quin vellet opus suum prædicari, sed ut daret formam homini laudem humanam declinandi. Unde patet, falso generatim assertam a quibusdam meram *signi* voluntatem, quoties non eveniunt quæ Deus exterius imperat vel consulit, aut e contra fiunt quæ prohibet; præsertim cum sequeretur inde *mandata, consilia et prohibitiones*, quæ Deus prævidet non observanda, non esse seriam ac sinceram Dei voluntatem, sed simulatam duntaxat ac illusoriam, contra aperta Scripturæ Eccli. 34. 5., et 1. ad Thess. 4. 3. testimonia; hominesque ea non observantes in rei veritate non esse violatores divinæ voluntatis.

2<sup>a</sup>. Divisio est in voluntatem *antecedentem* et *consequentem*. Observandum autem est:

1<sup>o</sup>. Quod voluntas *antecedens* in Deo sit ea, quæ attingit objectum in se, præcisè circumstantiis; voluntas *consequens*, quæ objectum circumstantiis omnibus vestitum considerat: prioris exemplum est in voluntate divina *sabvandi omnes*, posterioris in voluntate divina *aliquos damnandi*, positus eorum peccatis; ut sub nomine voluntatis *primæ* et *secundæ* CHRYS. hom. 1. in ep. ad Eph. n. 2. (opp. t. 11. p. 5. D.) sub iisdem autem vocabulis hic expressis DAMASC. L. 2. de Fide Orth. c. 29. prop. finem, referunt, et S. THOMAS p. 1. q. 19. a. 6. ad 1. illustrat paritate judicis, qui antecederet vult omnem hominem vivere, consequenter autem vult homicidam suspendi.

2<sup>o</sup>. Voluntas hæc *antecedens* est beneplaciti et non duntaxat signi; quia CHRYS. l. c. eam vocat *εὐδοκίαν*, quam vocem de se beneplacitum significantem, ad vim majorem declarandam, ibidem exponit per voluntatem cum magno desiderio; DAMASC. voluntati antecedenti nomen beneplaciti aperte conjungit; D. THOM. autem q. 23. de ver. a. 3. voluntatem beneplaciti ac proprie talem per antecedentem ac consequentem distinguit; unde quamvis postremus p. 1. q. 19. supr. cit. voluntatem antecedentem dicat voluntatem secundum quid ac velleitatem, id tamen non facit ad excludendam rationem voluntatis veræ ac sinceræ, sed per exclusionem voluntatis absolute, qualis est consequens, ut ex ipso contextu liquet.

3<sup>o</sup>. Eadem *antecedens* voluntas præscindit tantum a circumstantiis particularibus, maxime consensus et dissensus circa gratiam Dei et meritorum vel demeritorum personalium; adeoque non attingit hominem tantum secundum sua pure naturalia, sed etiam cum originali peccato consideratum. *Ratio* est, quia circumstantia peccati originalis est omnino communis universæ naturæ humanæ, adeoque ab antecedente voluntate attingitur, non autem a consequente, quæ ad diversas in diversis hominibus circumstantias spectat; ut hoc S. THOM. in 1<sup>um</sup>. dist. 46. q. 1. a. 1. docet. Patet id rursus ex laudatis hactenus Patribus: nam CHRYS. voluntatem *primam* vocat, quæ

antecedit demeritum; *secundam*, quæ illud sequitur: unde liquet, eum respicere ad circumstantias particulares et personales. Idem colligitur ex DAMASC., qui antecedentem vocat voluntatem bonitatis, et cujus Deus ipse causa sit; consequentem autem voluntatem justitiæ, quæ ex nostra causa ac vitio ortum ducat.

3<sup>a</sup>. et 4<sup>a</sup>. Divisio est in *conditionatam* et *absolutam*, *efficacem* et *inefficacem*. Observandum autem:

1<sup>o</sup>. Quod voluntas *absoluta* sit, quæ a nulla conditione pendet: *conditionata*, quæ pendet ab aliqua conditione: *efficax*, quæ semper impletur, seu effectum, quem intendit, obtinet: *inefficax*, quæ non semper impletur, seu illo effectu frustratur: quæ omnes rursus sunt membra dividendi voluntatis beneplaciti.

2<sup>o</sup>. Non dari in Deo *conditionatam* voluntatem, si conditio a solo Deo dependeat, nec tamen sit unquam ponenda, ostenditur iisdem argumentis, sicut Deus futura mere conditionata non cognoscit in decretis subjective absolutis et objective conditionatis. Si vero conditio, sub qua res futura dicitur, pendeat non a Deo solo, sed ab ipso simul et a creatura libere agente, sive ponenda sit hæc conditio sive non, conditionatam hanc voluntatem dari in Deo tenendum est; quia hujusce voluntatis plura exempla in Scripturis manifeste exstant, uti illud est L. 3. Reg. c. 9. v. 4. *Si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis et in æquitate, et feceris omnia quæ præcepi tibi, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum*; et Psal. 103. 23. *Dixit, ut disperderet eos; si non Moyses electus ejus stetisset in confectione in conspectu ejus, ut averteret iram, ne disperderet eos*: alibi autem tacite conditio involvitur, uti dictum est sæpius de eversione Ninive prænuntiata, nisi incolæ poenitentiam agerent, et de voluntate divina *salvandi omnes*, siquidem illi gratiæ divinæ sint cooperaturi.

3<sup>o</sup>. In iis, quæ Deus operatur sine creaturæ liberæ cooperatione, voluntas Dei semper impletur. Ad hanc classem pertinent, quæ dicuntur Esth. 13. 9. *Domine Deus Rex omnipotens! in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tui resistere voluntati, si decreveris salvare Israel*; ubi sermo est de vita Judæorum salvanda et tuenda contra facinus Amani. Item quæ dixit Joseph ad fratres suos: *Nolite timere! num Dei possumus resistere voluntati?* quia loquebatur de eventu malevolentiæ fraternæ, quem Deus procuraverat optimum. Similia habentur 2. Paralip. 20. 6., Jobi 9. 13. et alibi, quod ex contextu facile intelligi potest. Idem etiam affirmari debet de voluntate Dei absoluta et efficaci circa liberas creaturarum actiones, quin tamen per id negetur dogma catholicum de libertate creata. Ratio *primi* habetur ex Scriptura, quæ Dei voluntatem impleri universim enuntiat, ut videre est Isa. 4. 10., Psal. 113. 3., ad Rom. 9. 19.; item ex communi Patrum consensu, præcipue S. Aug., qui in Enchir. c. 98. inquit: *Quis enim tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* et L. de corr. et gr. c. 14. n. 43.: *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Et infra (n. 45): *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam voluntatem. Ratio*

*secundi* est, quia voluntas Dei absoluta et efficax dirigitur a scientia media, cujus ope superius ostendimus libertatis humanæ concordiam cum efficacia gratiæ et certitudine decretorum Dei.

*Dixi*: voluntas Dei absoluta et efficax; quia non omnis voluntas, conditionata scilicet, circa liberas creaturarum actiones, semper impletur, h. e. sortitur effectum quem per se intendit; quamvis alio sensu dici possit, et hanc quoad aliquem modum impleri semper, quatenus qui peccando se subtrahunt ordini voluntatis divinæ miserentis et remunerantis, subjiciantur ordini voluntatis punientis et vindicantis. Exceptio patet ex pluribus Scripturæ testimoniis, qualia sunt Prov. 1. 24. *Vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Ezech. 24. 13. *Mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis.* Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Act. 7. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Item ex SS. PP., inter quos S. Aug. L. de Catech. rud. c. 26. n. 32. ait: *Deus vult homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistent misericordiæ Creatoris sui.* Et Tract. 12. in Joan. n. 12. *Quantum in medico est, sanare venit ægrorum: ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum: quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? salvari non vis ab ipso: ex te judicaberis.*

171. *Observa I.* Objectum voluntatis ac amoris divini *primarium* est Deus, *secundarium* sunt creaturæ. Amor, quo Deus maxime bonum creatum prosequitur est vel *simplicis complacentiæ*, quo illud amat ut possibile, quin ullum applicet medium ad illius existentiam: vel *simplicis desiderii*, quo Deus desiderat existere bonum creatum, quin ejus existentiam per media efficacia intendat: vel *efficacis volitionis*, qua decernit existentiam boni creati: vel *gaudii*, quo specialiter sibi complacet de bono creato, prius efficaciter volito, ut existente. Certum, quod Deus seipsum amet necessario, utpote summum bonum clare visum: quodque creaturas in aliqua temporis differentia existentes amet amore efficacis volitionis, quia tribuendo existentiam, illis bene vult, dando esse et conservando; amore tamen *libero*, quia sibi sufficientissimus, nec essentialiter absolute cum illis connectitur, nec ad eas producendas aut conservandas necessitatur: certum, quod *ut existentes* amet amore gaudii, quo, supposita earum productione, non potest non sibi in iis complacere, Gen. 1. 31., Sap. 11. 25.: certum denique, quod objectum *formale* *primarium* universale ac simpliciter ultimum sit bonitas divina, Prov. 16. 4., ita ut ipsa bonitas creata, aut si quæ alia pro formali objecto *secundario* admittitur, referatur ad bonitatem increatam tanquam finem sive cui, sive qui.

172. *Observa II.* Deus necessario etiam amat creaturas *possibiles* amore *simplicis complacentiæ*: non enim potest Deus comprehensive et adæquate amare suas perfectiones, v. g. omnipotentiam, quin simul sibi complacere in ejus terminis essentialiter connexis. Habent autem creaturæ *possibiles* sufficientem bonitatem ad terminandam simplicem complacentiam voluntatis divinæ, cum possint esse objectum desiderii simplicis, ut patet in possibilitate gloriæ et actuum honorum creaturæ liberorum. Quod vero *aliquid*

creatum possit esse ratio amandi et volendi secundaria et proxima divinæ voluntatis, patet ex incarnatione propter salutem nostram, ex gloria propter merita, ex fidelitate, misericordia, justitia et aliis virtutibus moralibus, in quibus bonitas creata propter seipsam proxime amari debet.

## ARTICULUS II.

## AN IN DEO DETUR VOLUNTAS LIBERA?

173. *Nota.* Certum est, Deum esse liberum a coactione, et non esse liberum a necessitate seu determinatione naturali ad unum in suis operationibus *ad intra*; quia hæc, quibus scilicet producuntur Personæ divinæ, Filius et Spiritus sanctus, tam sunt necessariae, quam est ipse Deus. Certum, neque Deum esse liberum in agendo *ad extra* ad ullum peccatum vel malum; cum constet Deum essentialiter esse impeccabilem. Sola igitur difficultas est de libertate a necessitate, seu de indifferentia activa et electiva circa creaturas et opera bona Deo extrinseca. Inter eos qui hanc Deo perfectionem negant, referuntur a S. THOM. L. 2. cont. Gent. c. 23, n. 9. Philosophi quidam, docentes, Deum producere res ex necessitate naturæ, et quidquid vult, velle necessitate absoluta: a THOM. WALDENSI L. 1. doctrinalis fid. c. 10. recensentur Petrus Abailardus et Joan. Wicleffus, qui docuerint, Deum non posse facere, nisi ea quæ facit; his adduntur a BELLARM. L. 3. de lib. arb. c. 13. Lutherus, qui in Assert. a. 36. dicat veram esse Wicleffi sententiam, quæ habet omnia ex necessitate absoluta evenire; Bucerus, qui in L. de Concord. c. de lib. arb. tradat, Deum necessario agere quidquid agit, nec posse aliter facere; Calvinus, qui L. 1. Inst. c. 16. §. 3. doceat, Deum agere quidquid potest agere, nec posse cessare ab eo quod agit, aut aliud facere posse; et L. 2. c. 8. §. 5. impossibile appellet, quod neque fuit unquam, et ne imposterum sit, Dei ordinatione et decreto impeditur: a STEPH. DECHAMPS L. 3. de hæres. Jans. Disp. 2. c. 13. Jansenius, qui L. 6. de gr. Christi c. 11. contendat, Deum omni spoliandum libertate, si ad hujus essentiam pertineat potestas agendi vel non agendi. Quorum omnium doctrina tum ab iis, qui eam retulerunt, tum ab aliis Theologis cumuni suffragio erroris damnatur.

174. *Dico.* In Deo datur circa opera *ad extra* non mala, voluntas libera libertate indifferentiæ.

*Prob. I.* EX SCRIPTURA, quæ 1<sup>o</sup>. dicit, agere Deum ex consilio et propria electione; ad Ephes. 1. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; et v. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* 1. ad Cor. 1. 27. *Quæ stulta sunt, elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma elegit Deus etc.* 2. ad Thess. 2. 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper, quod elegerit vos primitias in salutem.* Jam vero consilium et electio locum non habet circa bonum, quod absolute necessarium sit eligere, sed quod possibile est eligere vel non eligere.

2<sup>o</sup>. Objectum a Deo volitum non aliter determinat, nisi per volitionem divinam; Psal. 134. 6. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Ad Rom. 9. 18. *Cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat.* 1. ad Cor. 12. 11. *Hæc autem*

*operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Joan. 3. 21. *Sicut Pater suscitavit mortuos et vivificavit: sic et Filius, quos vult, vivificavit.* Et 3. 8. *Spiritus, ubi vult, spirat.* Sed ubi objectum volitum determinatur tantum per volitionem, indicatur indifferentia volendi et non volendi, ut patet ex eodem modo loquendi relato ad homines, cujus exemplum habentur Eccli. 15. 17. *Ad quod volueris, porrige manum tuam;* 3. Reg. 3. *Postula quod vis, ut dem tibi;* Joan. 15. 7. *Quodcumque volueris, pete;* 1. ad Cor. 7. 36. *Quod vult, faciat, cui vult, nubat.* Ex quibus libertatem in homine demonstramus vel intelligimus.

3<sup>o</sup>. Eadem plura enuntiat de Deo sub conditione, *si velit;* Eccli. 39. 8. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Dan. 3. 17. *Deus noster potest nos de manibus tuis, o Rex! liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex! quia deos tuos non colimus.* Sap. 12. 18. *Subest enim tibi, cum volueris, posse.* Jacob. 4. 15. monemur, dum dicunt aliqui hodie aut crastino die ibimus, mercabimur etc. *Pro eo, ut dicatis: si Dominus voluerit; et si vixerimus, faciemus hoc.* Sed illa conditio adjecta significat potestatis indifferentiam, ut velit et non velit; tum quia ex simili enuntiatione de homine Eccli. 15. 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te,* probatur ejus libertas circa mandatorum observationem: tum quia illæ propositiones: *Deus, si voluerit, mentietur; Filius divinus, si voluerit, faciet quod non viderit Patrem facientem,* sunt blasphemæ non alio ex capite, quam quod illa conditio denotet indifferentem possibilitatem volendi et non volendi mendacium vel opus a Patre non profectum. Unde Catholico non conveniet respondere: Deum quidem alia posse, si velit, sed non posse velle; præsertim quia hæc evasio a Wicleffo olim jam excogitata, sed a TH. WALDENSI et BELLARM. locis supra citat. ut erronea fuit rejecta, quemadmodum et similis ludificatio Jansenii circa libertatem hominis potentis dissimulare gratiæ, si velit, reprobatum ab omnibus.

*Prob. II.* EX TRADITIONE: JUSTIN. Quæst. Christian. ad Gent. q. 3. n. 2. *Si Deus, inquit, facit, quia est; coacte facit, quæ facit: sine facit, quia vult; sponte facit: sponte enim faciens facit quantum vult, et qualia vult, et quando vult.* Idem, vel Auctor QQ. ad Orthod. q. 114. asserit, *actionis divinæ potentiam non naturali necessitate, sed proprio consilio constare.* HILAR. L. de Synod. n. 44. sic de Deo scribit: *Extra corporalis naturæ necessitatem liber manens, quod vult, et cum vult, et ubi vult, præstat ex sese.* NYSSEN. L. de fat.: *Omni-potens neque naturæ necessitate, neque legis præscripto operatur, sed sunt illi omnia contingentia etiam necessaria.* AMBROS. L. 2. de fide c. 6. n. 48.: *Hæc operatur unus et idem Spiritus sanctus, dividens singulis prout vult, id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* AUG. L. 22. de Civ. c. 30. n. 3. *Deus ipse nunquid quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Et in Enchir. c. 95.: Tunc in clarissima sapientiæ luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, et non velit, nihil autem velit, quod non possit.* EPIPHAN. Hæres. 70. n. 7.: *Deus potens est, ut, quod vult, faciat: verum facit illa, quæ divinitati congruunt.* Et hæc 23. n. 5.: *Deus Pater hominem et cætera omnia pro sua voluntate procreavit.* DAMASC. L. de duab. Christi volunt. n. 28.: *Divina natura voluntate prædita arbitrioque est libero,*